

destituatur capite : de reliquis scribit Cælestinus in epist. ad Synodum : *Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres Consacerdotes nostros Arcadium, Projectum et Philippum, qui iis quæ aguntur intersint, et quæ a nobis antea statuta sunt, exequantur; quibus similia ait in epistolis ad Imper. et Cyrillum.*

De CHALCEDONENSI. Leo Papa in epist. ad hanc Synodum : *In his fratribus, Paschasino et Lucentio Episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo Fraternitas vestra cœstimet præsidere : hujus tenoris plura habentur in epp. ad Imper. et Julianum. Paschasinus suo et aliorum Legatorum nomine Act. 3<sup>a</sup>. inquit : *Nostram parvitatem huic Concilio pro se præsidere Papa Leo præcepit.* Concilium in epist. ad Leonem : *Quibus quidem (Episcopis congregatis) sicut membris caput præeras in his qui tuum tenebant ordinem.**

De CONSTANTINOPOLITANO III. Act. 1<sup>a</sup>. dicitur : *Conveniente sacra Synodo, id est, Theodoro et Gregorio presbyteris et Joanne diacono, vicem agentibus Agathonis Archiepiscopi antiquæ Romæ, Georgio Archiepiscopo magnæ Constantinopoleos etc.* Idem habetur in reliquis, præsertim Act. 18<sup>a</sup>. in Synodica autem ad Papam Concilium ait : *Perlectis vestræ confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad Imperatorem missis, quas ut a summo Apostolorum vertice divine præscriptas agnoscimus. In diurno Romanæ Ecclesiæ scribitur : Sextum Concilium generale, cui Agatho Papa per Legatos suos et responsales præfuit : Similia refert Zonaras in vita Constantini IV.*

De NICENO II. Act. 1<sup>a</sup>. 5<sup>a</sup>. et 7<sup>a</sup>. Petrus Archipresbyter Romanus, et Petrus Abbas S. Sabæ dicuntur tenere locum Sedis Apostolicæ : unde et ante Tarasium et omnes Episcopos sic subscripserunt : *Petrus vices agens Adriani Papæ veteris Romæ, definiens subscripsi; et Nicolaus Papa ad Michaellem Imper. scribens inquit : Quasi non et ipsi in Nicæa collectæ Synodo nostra fides præседerit.*

De CONSTANTINOPOLITANO IV. Adrianus in epist. ad Basilium Imp. scribit : *Volumus per vestræ pietatis industriam illic numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque missi præsedentes, nempe Donatus et Stephanus Episcopi et Marinus diaconus etc.; qui Act. 1<sup>a</sup>. rogati exhibere mandatum Papæ pro præsentia, has litteras legi jusserunt : unde Act. 10<sup>a</sup>. prior sic subscripsit : Ego Donatus, Dei gratia Episcopus Ostiensis, locum obtinens Adriani universalis Papæ, huic sanctæ et universali Synodo præsedens, omnia, quæ superius leguntur promulgavi et manu propria subscripsi.*

Quamvis vero CONSTANTINOPOLITANA I. et II. quæ sine interventu Romani Pontificis celebrata diximus, exceperimus; tamen de primo testatur Photius L. de septem Synodis : *Haud multo post et Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans et sentiens accessit; qui accessus, cum altero mox anno factus videatur in Concilio Romano, ad hoc autem missi fuerint tres orientales Episcopi, saltem in confirmatoria œcumenici II. Synodo præsidium Pontificis habemus: de secundo autem seu œcumenico V. docet Synodi epistola, ad Vigilium a Patribus missa, Concilii præsidium ad Pontificem pertinere, his verbis exarata : *et ideo petimus, ut præsidente nobis vestra beatitudine, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda et quæri et consummari, et finem quæstioni imponi.**

143. *Objic.* IMPERATORES in plerisque Cc. œcumenicis Orientalibus præsederunt : et quidem Constantinum in Nicæno I. præsidem Caus. 11: Q. 1. Can. 5. et Caus. 12. Q. 1. Can. 15. enuntiant; Chalcedonensi Imperatores fideles ad ordinandum decentissime præsedisse; hujus Concilii epistola ad Leonem significat; Constantinum Pogonatum Constantinopolitano III. pro Dei ministerio præfuisse, edicunt act. 1<sup>a</sup>. et epist. Leonis; Generali C. VII. Irenem cum filio, C. VIII. Basilium præfuisse, illud ex octava, hoc ex septima actione colligitur. In reliquis Conciliis per missos ad ea Comitum et Magistratus idem ab iisdem præstabatur.

R. ad Arg. D. Imperatores plerisque Orientis Conciliis præsederunt loco et honore, C. auctoritate et potestate N. vel subd. ad Concilium protegendum, servandum ordinem, impediendam vim et turbas, C. ad definiendum vel statuendum in rebus fidei et Ecclesiæ, N. audiendus est hac de re Concilii VIII. œcumenici Canon 17. *Illud autem tanquam perosum quiddam ad auribus nostris repulimus, quod a quibusdam imperitis dicitur, non posse Synodum absque Principali presentia celebrari; cum nusquam sacri Canones convenire seculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites.* Præterea quid sua aut suorum missorum presentia intenderint Imperatores, ipsi declarant. Et quidem CONSTANTINUS, ut nuper dictum, Episcopum se tantum eorum, quæ extra Ecclesiam geruntur, agnovit; et teste Rufin. L. 10. c. 2. ac Ambros. epist. 32. fassus est judicari se ab Episcopis debere.

THEODOSIUS JUN. et VALENTINIANUS dum ad Ephesinam Synodum Candidianum Comitum præfuturum mitterent, id significarunt fieri ea lege et conditione, ut cum questionibus et controversiis quæ circa fidei Dogmata incidunt nihil quidquam commune habeat; verum ut eos submoveat qui aliquid obstaculum afferre possunt: ut diligenter prospiciat, ne quæ gravior dissensio veritatis indagacionem obturbet; tum denique quo operam det sedulam, ut omnibus et singulis quæ dicuntur rite perceptis, singuli inoffense quod visum fuerit in medium proponere, vel ab aliis propositum, si opus fuerit, refutare queant.

MARCIANUS Act. 6<sup>a</sup>. Concilium alloquens : *Nos enim, inquit, ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosi Principis Constantini, Synodo interesse volumus: in cujus etiam Synodi act. 3<sup>a</sup>. Cecropius edixit, quando quædam regularia, h. e. Ecclesiastica negotia examinantur, secundum canones neque iudices alios vel Laicos interesse oportet.*

CONSTANTINUS POGON. in epist. ad Gregorium Papam inquit : *Neque enim cum illis (Episcopis) tanquam Imperator sedebo aut imperiose loquar, sed tanquam unus ex illis: et prout statuerint Pontifices, ego exequar.*

BASILIVS deum in VIII Synodo longa oratione testatur, non esse suum, nec ullius Laici, misceri Ecclesiasticis judiciis; subscribit post omnes Patriarchas, non definiens, sed suscipiens et consentiens; præfatus antea se debuisse subscribere post omnes Episcopos, ut olim Constantinus, Theodosius et Marcianus fecerant; hoc tamen ordine se usum, quia tali eum honore Episcopi afficere voluerint.

Inst. 1. Nec minus honorem ac munus præsentia tuebantur IMPERATORES. Nam. 1. Constantinus in Nicæno sedebat medio et primo loco; Marcianus in Chalcedonensi et Pogonatus in Constantinopolitano eminebant altiore et summo loco. 2. Joannes Paleologus in Florentino contendit sedere ante ipsum

Eugenium; eo quod Imperatores olim ante Patriarchas omnes et Legatos Pontificios locum in Conciliis semper obtinuerint. 3. Senatores a Marciano missi in Chalcedonensi, Act. 1<sup>a</sup>. tulerunt primi depositionis in Dioscorum sententiam; Act. 2<sup>a</sup>. petierunt examinari Leonis epistolam etc.

R. D. A. Tuiti etiam sunt Imperatores honorem et munus præsidentiae cum praejudicio Ecclesiasticae potestatis, N. sine praejudicio, C.

Ad 1. De CONSTANTINO Euseb. in vita L. 3. c. 10. rem ita narrat: «Postquam Imperator ad caput subselliorum venit, primus medius stetit, positaque ante eum humili sella ex auro fabrefacta, non prius assedit quam Episcopi ei annuissent.» Sedes altior et summa MARCIANI et POGONATI dignitatem Imperatoriam designabat, minime autem jurisdictionis Ecclesiasticae prerogativam, fatentibus contrarium, ut audivimus, iisdem.

Ad 2. Acta graeca hoc factum ita exponunt: «Interea lis et controversia orta est de sedibus occidentalis et orientalis Ecclesiae. Postulabat enim Papa ut ad unum latus Ecclesiae sui omnes Ecclesiastici considerent, ad alterum vero Imperator et Patriarcha cum suis omnibus, in medio porro atque ad caput Pontifex ipse. Contra Imperator id potius Imperatoris esse quam Papae aiebat. Qua de re magna quaestio habita est, et lecta sunt acta Synodorum. Tandem hoc inter eos convenit, ut Papae quidem ac Pontificiis ea pars templi daretur, quae laeva esset ingredienti; altera vero, dextera scilicet, licet, Imperatori et suis. Atque ita sedes in hunc modum collocatae sunt; Pontificiis quidem sedes ad partem illi assignatam, distans a sacro altari passus fere quatuor: infra illam uno fere passu sedes Imperatoris Alemaniæ..... similiter e regione sedes Imperatori (Graeco) parata fuit, deinde Patriarchae etc.»

Ad 3. Senatores non tulisse sententiam juridicam, sed mentis tantum suae declaratoriam, nec postulasse examen epistolae Leoninae ut iudices, sed ut pacificatores, et pro Aegyptiis facilius reducendis, patet quoad prius eorum verbis, quae *justum sibi videri* declarant, et ex conditione *si Imperatori placeret* adjecta rem suspendunt: quoad posterius autem ex indulgentia Concilii erga Aegyptios iis etiam argumentis hic contestata.

Inst. 2. Saltem PATRIARCHIS debuerant in Conciliis Orientis cedere Legati Pontificii. Nam 1<sup>o</sup>. in Nicæno I. Eustathium Antiochenum fuisse *primum* vel *praesidentem* scribunt Facund. Hermianens. L. 44. c. 1. et Felix in epist. 5. ad Zonaram: *sedisse primum in dextro ordine*, Euseb. in vita Constantin. L. 3. c. 2. et Theodoret. L. 1. c. 7. testantur. 2<sup>o</sup>. Alexandrum Patriarcham Alexandrinum *rebus in Nicæno decisio praefuisse*, scribunt ipsi Nicæni Patres in Synodica ad Eccles. Alexandrinam. 3<sup>o</sup>. Anatolius Constantinopolitanus, Concilii Chalcedonensis compars, a Photio L. de septem Synod. numeratur primo loco inter praesides; a Tarasio in Synod. VII. dicitur *primus Concilii Exarcha*; Actione 12<sup>a</sup>, sententiam dicit ante Legatos Pontificis. 4<sup>o</sup>. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in Nicæno II. initiali oratione, agendorum propositione, decretorum confectione, et actorum relatione, omnia praesidis munia obivit. Ergo.

R. N. Ass. 1. Quod EUSTATHIUM attinet, dicitur is primus doctrina et eloquentia, non vero auctoritate: dicitur praesidens, non quasi primus foret ordine, sed quia inter primos, scilicet Patriarchas, qui omnes juxta Cedrenum in Compend. hist. et Nilum Rhoditum in libello de Synodis dicebantur

praesesse, sedebat. Ordinem et partem dextram non fuisse honoratiorem patet tum ex nupera narratione de Florentina Sessione, tum ex actione 1<sup>a</sup>. Concilii Chalcedonensis. Quod vero in Sessionibus Conciliaribus pars sinistra haberetur magis honorifica, inter alias videtur haec esse ratio praecipua, quia in medio consessus Episcopalis sancta Evangelia, quae Christi typum gererent, sublimes loco collocabantur; adeoque parte sinistra sedentes ad Christi dexteram videbantur.

2. De ALEXANDRO, originalis seu graeca epistolae Synodicae lectio non dicit eum rebus decisis praefuisse, sed fuisse *gestorum auctorem et participem*: quin et praefuisse dici poterit, tum ex nuper dictis, quia Patriarcha Alexandrinus erat, tum ex *multo ejus labore*, ut eadem epist. asserit, ad tranquillitatem per Arianos et Meletianos turbatam Ecclesiae Alexandrinae reddendam impenso; quarum turbatarum, utpote domesticarum, optime gnarus, proponere pericula et media suggerere ipse praeceteris poterat.

3. ANATOLIO locum primum tribuit Photius, sive ordini non admodum attentus, sive Constantinopolitanae sedis proedrae maligne studiosus et Romanae injuriosus, ubique monumentorum fidei contrarius. Item a Tarasio vocatur primus Exarcha, non quidem respectu Romani Pontificis, sed aliorum Patriarcharum respectu; cum Actio ipsa Pontificios Legatos praeponat. Denique is Act. 12<sup>a</sup>. dixit primus sententiam, permittentibus id facile Legatis Pontificiis, quia spectabat causam particularem Episcoporum Constantinopolitano subjectorum; non tamen jure ad alias etiam causas extenso: unde diversitas etiam apparet in actionibus aliis.

4. TARASIO memorata fuere permissa a Legatis praesidentibus, ob eloquentiae graecae copiam, agendorum peritiam et prudentiam, apud Augustos gratiam, apud Orientales omnes auctoritatem; ob quas postremas rationes, etiam volentibus Legatis, omissa inter legendum fuit pars Pontificiarum litterarum, TARASII irregularem ordinationem ac tituli usurpati arrogantiam reprehendens.

144. *Observa.* Assertio utraque his vocibus *ordinarie* vel *regulariter* restricta est ob casus quosdam singulares, quibus convocatio et praesidium Conciliorum aliis permittenda videntur: cujusmodi sunt: 1. Si sedes Romana vacet vel morte, vel renuntiatione, vel amentia aut captivitate perpetua Pontificis: 2. Si dubius sit Pontifex legitimus: 3. Si Papa notorie sit haereticus: 4. Si idem esset suspectus de haeresi, aut gravi scelere infamatus: 5. Aut si etiam maxime Catholicus et bonus, rogatus tamen congregare Concilium, pertinaciter id facere recusaret. Circa hos casus, supposita Ecclesiae necessitate aperta et urgente, maloque aliud quam conciliare remedium non admittente, communior sententia est, non tantum in quatuor prioribus, sed in postremo etiam Concilium convocari a Cardinalibus, aut ad horum repugnantiam a Primatibus, imo ab Episcopis mutuo hortatu in unum locum confluentibus constitui posse; cum Pontifex hujusmodi, ut BELLARMINUS L. 4. de Conc. c. 14. ex Turrecremata ait, de haeresi suspectum se redderet, juxta Dist. 83. Can. 3. et sequentes.

Coeterum, eodem Cardinali monente, Concilium hoc: 1. Non foret nisi imperfectum, utpote capite destitutum: 2. Posset in casu altero deponere, in sequentibus jam depositum declarare Pontificem, ubique autem sibi pro-

videre de certo aut novo Ecclesiae capite : 3. Ante tamen capitis hujus constitutionem non posset auctoritate summa ac infallibili alia decernere : 4. Pontifex de crimine accusatus a jure praesidendi non excideret; cum nec Princeps supremus desinat esse iudex, licet cum ipso litigetur. Pro jure hoc exempla extant non tantum in causa Marcellini, quae a Criticis repudiatur, sed et in Sixti III. et Symmachi iudicio : quin et in Conc. Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi et Constantinopolitano Alexander, Cyrillus, Leo et Ignatius; Arii, Nestorii, Dioscori et Photii fuerunt iudices legitimi, quantumvis ab his accusati et damnati.

## ARTICULUS III.

*Quinam sint convocandi ad Concilium Generale?*

145. *Nota.* Concilia, maxime Generalia, habere formam iudicii, adeoque standum esse Conciliari sententiae, non autem facere meram inquisitionem, nec decreta eorum esse æquiparanda Doctorum decisionibus, quae tantum valent quantum ratio probat, unânimis est Catholicorum assertio : patetque ex obedientia decretis Conciliorum necessario praestanda, quam imposuit CHRISTUS, Matth. 18. v. 17. Ecclesiam audiendam praecipiens; exegerunt APOSTOLI, A. 15. et 16. decreta Hierosolymitani Concilii observari imperantes; postularunt PATRES plurimorum Conciliorum, definitiones aut canones sub anathematis poena custodiri jubentes. Sicut autem in aliis, ita et in Conciliaribus iudiciis, possunt intervenire alii ut iudices, qui gerunt suffragium decisivum; alii ut consultores, qui votum doctrinale seu consultativum habent; alii ut ministri vel adjuutores, qui quamvis officia quaedam vel in Concilio vel circa illud praesent, suffragium tamen pro decisione causae non edunt. Ex his, munus arcendi vim, impediendi turbas, servandi ordinem et exequendi decreta Conciliorum, Laicis aequae ac Clericis facile tribuunt omnes : concedunt similiter Notariorum, Custodum aut Procuratorum aliaque officia huiusmodi iisdem posse conferri : denique nemo contradicit, quin eruditi quicumque ad discutiendas, antequam decidantur, controversias atque ad doctrinale votum ferendum tanquam consultores admitti, adeoque pro ejusmodi praestandis ad Concilium evocari, invitari aut rogari queant.

Quod itaque quaeritur, ad id tantum spectat : Quinam ad Concilium generale vocandi sint ut iudices, seu ita ut in Concilio suffragium decisivum ferant? Ut hic Brentii aliorumque errorem Cap. jam superiore refutatum praeteream, quo ad Concilium Electi duntaxat admittuntur; Protestantes cum Lutero L. de Concil. plerique praeter Principes evocari ad Concilium postulant etiam populum, aut saltem viros doctos, quantumvis Laicos : Catholici e contra excludunt Laicos omnes; inter Clericos autem distinguunt, voluntque Episcopos solos interesse Conciliis jure ordinario sive ex officio proprio; quosdam vero non Episcopos, scilicet Cardinales, Abbates exemptos, et Religiosorum Ordinum Praepositos generales ex privilegio et consuetudine.

146. *Dico.* Ad Concilium generale vocandi sunt Episcopi jure ordinario; quidam Clericorum ex privilegio et consuetudine; Laicorum etiam doctorum nemo ullo titulo.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Jure vocandi sunt ad Concilium generale, qui Ecclesiam tum regunt, tum representant, et tractandarum causarum potestatem ac jurisdictionem competentem habent : sed Praelati majores sive Episcopi jure proprio Ecclesiam tum regunt, tum rite representant, et potestatem ac jurisdictionem competentem possident : ergo. *Major* patet ex paritate cum generalibus Comitibus Regni ac Reipublicae cujuslibet, ubi legitima regiminis forma viget; et ex ipsa sive Concilii sive iudicii natura ostenditur, quandoquidem hic definiuntur dogmata, condemnantur haereses, statuuntur canones, disciplina reformatur pro universa Ecclesia; praeterea autem non tantum Ecclesiarum jura et Episcoporum controversiae deciduntur, sed et damnantur et absolvuntur rei, infliguntur poenae et contumaces compelluntur : quorum priora sine regimine ac representatione Ecclesiae, posteriora sine jurisdictione in Ecclesiastico foro etiam externo concipi non possunt.

*Minor* constat similiter : quia ex Act. 20. v. 28. *Episcopi a Spiritu sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei* : juxta CYPR. epist. 69. *Ecclesia est in Episcopo*, scilicet secundum representationem et jurisdictionem : ex Matth. 18. v. 18 : *Apostoli Apostolorumque successores alligandi solvendique facultatem obtinent.*

*Conf. 1.* Quod usus fuerit solos convenire Episcopos in Conciliis, docet Euseb. L. 5. c. 23. ubi, loquens de Conciliis supra quaestionem Paschatis tempore VICTORIS, inquit : *Ob quam causam conventus Episcoporum et concilia per singulas quasque provincias convocantur.* Consentunt reliquorum Conciliorum Acta. 2. Quod accessus ad Concilia solis Episcopis patuerit, probat tum PULCHERLE in ep. ad Strategum edictum, de repellendis etiam per vim a Concilio omnibus non Episcopis, tum Patrum Chalcedonensium Act. 4. contra Monachos et Laicos Concilium ingressos exclamatio : *Mitte foras superfluos : Concilium Episcoporum est.* 3. Quod ad Episcopos pertineat judicare in Conciliis, ostenderunt facto Episcopi, hac subscribendi formula in Conciliis plerisque usi : *Ego Episcopus definiens vel statuens subscripsi* : item ad jus provocantes declararunt Osius in ep. ad Constantium ap. Athan. in ep. ad solitarios : *Tibi Deus commisit Imperium; nobis Episcopis, quae sunt Ecclesiae concredidit*; et Ambr. ep. 32. ad Valentinianum : *Si conferendum de fide, sacerdotum debet ista esse collatio, sicut factum est sub Constantino, qui iudicium dedit sacerdotibus etc.* 4. Quod praesentibus in Concilio solis Episcopis Ecclesia congregata intelligatur, testantur Euseb. L. 3. de vita Constantini, qui conc. Nicænum vocat *conventum orbis terrarum*; et Aug. L. 1. de baptismo, consensum eorumdem Patrum *Ecclesiae totius consensum* dicit.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Qui nec per se qualitatem convocandis necessariam habent, nec semper vocati sunt, nunc tamen ut iudices admittuntur in Concilio, ad id vocandi sunt ex privilegio et consuetudine : sed Cardinales, Abbates exempti et Generales Ordinum per se non habent qualitatem necessariam, scilicet jurisdictionem spiritualem pro foro externo, quia jure proprio vel nullos subditos habent, vel, *aliquas tantum*, ut D. THOMAS loquitur, *subministrationes sub Episcopis exercent* : nec semper vocati sunt, ut historia antiquorum Conciliorum docet, et testatur Martinus Archimandrita, actione 1<sup>a</sup>. Conc. Chalcedonensis ad subscribendum invitatus, sed respondens, *id Episcoporum tantum esse, non suum* : Nunc tamen ut iudices admittuntur in